



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Laborabat seculum inopia librorum incorruptorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

fuit societatis Iesu parentibus, de Germania bene
 usque eo meritus, ut plurimorum opinione velut
 Apostolus eius haberi, dicique possit. In partem
 laborum laici successit Canisius. Quippe Rex Fer-
 dinandus pro sua religionis tuenda sedula volun-
 tate, dum subsidia sagax conquirat, statuerat pla-
 ne sapienter opus esse ante omnia librorum ali-
 quot monumentis, unde casta rituum sacrorum
 doctrina peteretur. Hæretici nihil intactum reli-
 querant: atque Harpyiarum instar quicquid attige-
 rant, conspurcarant, suæque impietatis veneno in-
 fecerant. Non in Theologorum, non in Parochorum,
 non in Ludimagistrorum; atque adeo puero-
 rum manus nisi codices pestiferi veniebant, vel
 ab illis editi, vel corrupti: unde per Ordines, perque
 ætates omnes pestis diffundebatur. Ergo censue-
 rat Ferdinandus condenda opera tria. Primum
 Academiae in usum, quod theologiam doctrinam
 compendio firmo, tutoque complecteretur.
 Alterum ad Parochorum institutionem, unde ad
 plebem quoque erudiendam, & cohortandam præ-
 sto esset argumentorum sylva. Postremum ludi-
 magistris vsui, teneræque ætati. Horum conditio-
 nem operum cum laico Rex commendasset, ac

Theo-

*Laborabat
 seculum ino-
 pia librorum
 incorrupto-
 rums.*

Theologicum illè compendium inchoasset, eo raptò in Canisium transtulit. Is imparem se tanto oneri sentiens (nemo enim vnquam de se sensit modestius) egit ipse, agendumq; cum Ignatio curauit, vt in alios de societate, quibus sapientia par, & facultas idonea suppeditaret, traduceretur. Et B. Pater theologicam summam Lainio: Sacerdotalem institutionem Andreae Frusio assignauit: ipsi Canisio Catechismũ: qui demum solus præscriptam sibi partem absoluit. Nam Frusio vitæ finis, Lainio Generalatus interuenit. Ceterum ita demum locupletatum, perfectumque est Canisij opus, talesq; idem edidit in Euangelia totius anni notas, vt omnium partes explese visus sit. Sed hæc postea euenerunt.

*Catechismũ
Canisius in-
betur scri-
bere.*

Cum primum autem Viennam adiit, & bis in hebdomada scholas in Academia habebat, & studiorum regendorum præfecturam gerebat domi, & sanctioribus quibusq; diebus ad sancti Dominici (Ea tum Collegij sedes erat) dicebat ad populum tanta constantia, vt quamuis per autumnum pestilentia desæuire cœpisset, tamen nunquam intermiserit, sed potius frequentarit conciones, admirantibus Germanis salutis alienæ stu-

*Plurimis oc-
cupationibus
oneratur.*